POST INNOCENTII XI. PONT. OPTIM. MAXIM.

Ab humanis diſceſsum,

Apud Vnnam in Croatiæ, apud Moravam in Serviæ Provincijs,

SVB FAVSTIS

LVDOVICI PRINCIPIS BADENSIS

OMINIBVS

Supremi in Vngaria pro LEOPOLDO Imperatoris,

A' parva Germanorum manu,

Nebulæ inopinatò exortæ præcipuè beneficio,
Innumerabiles Turcarum copiæ penitùs deletæ,
Ac NISSA expugnata.

ELEGIA.

VOtum ingens Latij BENEDICTVS clauditur urna,
Labentiſque iacet Maximus Orbis Atlas.
Perpetuo fletu fons ergo Aſcrçus inundet,
Parnaſsique gemens langueat omnis Olor;
Et mihi ferales inhonorent tempora frondes,
Hirtiſque areſcant Laurea Serta comis.
Det gemitum in Thracas VENETVS LEO neſcius iræ,
Demittatque, æger corda dolore, iubam.
Fulminis ardorem lacrymis exinguat, & alas
Mœſtitiæ teſtes REGIA ponat AVIS;
Et quæ replebas BENEDICTI nomine Mundum,
Frange triumphales anxia fama tubas.
Orbis Atlas cecidit; viduata Eccleſia triſtes
Ingeminet voces Orbis Atlas cecidit.

Fal-

Fallimur, haud cecidit; timidos volat umbra per hoſtes,
Terret & excuſso Thracia caſtra metu.
Non cecidit; vivit LEOPOLDI in pectore, vivit:
Et Germanorum robore pugnat adhuc.
Ergo agite, ò fortes Animæ, perſtringite ferrum;
Det rabies vires, ſuggerat arma dolor.
Vivit adhuc, vivit; quantòque remotior, aſtris
Proximior tantò tela timenda vibrat.
Sanguine humum Scythico ſaturatam cerno Croatûm,
Et dare Biſtonios terga inhonora fugæ.
Barbaricis ſpolijs tumefactam cerno Moravam
In mare conſuetas non reperire vias.
Pugnat adhuc, & ſe maior fugientibus inſtat,
Illius & vita mors metuenda magis.
Hæret Germanus Victor trepidantibus, hærent
Arma armis, Signis Signaque, peſque pedi.
Sydereo reducem exoptaret ab æthere: Tanto
Luna metu pallet, Luna cruore rubet:
Nempè abſens tantùm precibus pugnabat, & auro,
At propiùs pugnat nunc prece, & enſe ſimul.
Extimeat nec parva manus tantæ agmina plebis;
Pro LVDOVICO ſtat ſuper aſtra LEO.
Denſat & in tenebras nebulas, cœcoſque flagellat,
Auſpice ODESCALCO, Virga tremenda Dei.
Macte igitur LVDOVICE animo; Tibi militat æther,
Et coniuratus currit ad arma Polus;
Macte animo, ac virtute nova; tua Prælia, Cœli
Prælia ſunt: Fidei Bella, Sacrique Viri.
Cernis ubi Niſsa in nubes caput erigit? illùc
Te ſtrenue Heroum prævia fata vocant.
Dexter adeſt cœptis BENEDICTVS, & obſita cœno
Qua loca ſint, ſaxis qua loca cœca, docet.
Caſtra ſuæ pennis AQVILÆ teget ille, ſuoque
Terrebit Scythici caſtra LEONE Canis,

Dùm

Dùm Bizantina Crux emicet Vrbe, paretque
　　In ſylvas Arabum territa Luna fugam.
Non cecidit, ſed pugnat adhuc; quin corpore liber
　　Quo leviùs volitat, plus gravitatis habet.
Tanti Terra Viri meritis onerata nequibat
　　Ferre ultrà: volat ad Sydera, non cecidit.
Nón cecidit, pavet & nullos Eccleſia lapſus,
　　Nec ruit INNOCVO deficiente fides;
Illius Herculeo firmat fundamina dorſo
　　Nomine qui MAGNVS, MAXIMVS Imperio.
Éque rogis Aquilæ REGALIS naſcitur ALES,
　　Virtutis Phœnix, Pontificumque decus.
Adria cui felix cunabula, ſolaque Regnum
　　Sorte nihil Virtus auxiliante dedit.
Ille orbem lapſo firmabit Atlante ruentem
　　Grandi ævo fortis, fortior ingenio.
Non vi, ſed nutu compeſcet bella, ferocis
　　Claudet & æterno Iani adamante fores.
Ille Petri ducet quaſſatam ad littora Navim
　　Nomine, re PETRVS; TERQVE QVATERQ; BONVS.
Inque Aſiæ fines AQVILAS, & LILIA vertet,
　　Et Lunas AQVILIS LILIA iuncta prement.
Inſani Batavum Tameſis de Sede TYRANNVM
　　Detrudet, Regi reſtituetque ſuo.
Aurea pax erit, ætas aurea, & aurea ſedes,
　　Cumque VIRO venient optima quæque BONO.
Atque olli licet (uno intelligit ardua quæque
　　Intuitu) Regni ſit leve pondus onus,
Attamèn in curas IVVENEM, partemque vocabit
　　Imperij, dignus qui ſatis Imperio eſt.
Ergo Petri quatiant ædem quæ robora, quando
　　Eſt ſupra GEMINAS ædificata PETRAS?
Non cecidit [ponat gemitus Parnaſſia Rupes,
　　Mutuaque Pierius plectra reſumat Olor]

Integra durat adhuc virtus, atque illius implet
    Totus Alexandrum Spiritus, atque Petrum.
Iſta mihi Phœbus, dùm lumina feſſa dolore
    INNOCVI amiſſi clauſerat alta quies.
Excutior ſomno, trepidamque it fama per Vrbem
    Romana ADRIACVM Regna tenere PETRVM,
Cornuaque HEROEM Lunæ fregiſse BADENSEM,
    Et Niſſæ domitas expoliaſſe Feras.
Auribus arrectis rumorem capto, metumque,
    Spemque inter pallida corda tremunt.
Lætitiæ tutus funeſtam è crine cupreſſum
    Dilanio, ac Paphijs ſerta marito comis.
Anguſtaſque peto Templi venerabilis ædes
    Immixtus ſenibus, Virgineiſque Choris.
Ac repetita reus voti figo oſcula Terræ,
    Lætitiaque gemens marmora verro comis.

IOSEPHI NATVCCI.